DE HISTORIAE CLEMENTIS ROMANI AVCTORIBVS QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

WERNER HEINTZE

HANNOVERANVS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXIII.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt P. Wendland et F. Leo.

Examen rigorosum habitum est a. d. III. Kal. Nov. MCMXII.

Dissertationis partes II, 4 et III hoc loco eduntur. Totum opus germanice versum hoc anno publici iuris fiet in collectione, cui inscribitur „Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, herausgegeben von A. Harnack und C. Schmidt, Leipzig" et titulum feret „Untersuchungen zum Clemensroman und seinen griechischen Quellen."

Conspectus argumenti.

Unica fabula christiana, quam novimus, historia Clementis episcopi Romani ex duabus servatis recensionibus Homiliarum[1]) et Recognitionum[2]) restituta est a Waitzio[3]) sic ut argumentum paucis adumbrari possit. Clemens narrat se adulescentem Roma Caesaream profectum esse, ubi fieret discipulus Petri apostoli. Quocum praedicante Phoeniciam Suriamque se peragravisse, dum felicissimo casu Aradi et Laodiceae matrem et fratres iam dudum mortuos putatos recognosceret. Iuvenili cum studio se cum fratribus capessivisse occasionem novae doctrinae contra senem quendam philosophum defendendae. Postremo adversarium esse patrem apparuisse omnesque se recognovisse.

---

1) Clementina ed. P. de Lagarde. Leipzig 1865. cf. A. Harnack, Gesch. d. altchristl. Lit. 1893. I p. 214. — Libros Lagardii more citare soleo α, β, γ. praeterea Lagardii versuum numeris utor.

2) Recognitiones ed. Gersdorf. Leipz. 1838. Eadem editio (non multa fide digna) invenitur typorum mendis abundans in Patrologia Graeca ed. Migne vol. 1. — A. Harnack l. l. p. 229 sqq. — Libri a me citantur romanis numeris I. II. III.

3) H. Waitz d. Pseudoklementinen. Leipzig 1904 (Texte u. Untersuchungen hsg. von v. Gebhardt u. Harnack N. F. X, 4). Conspectus argumenti „historiae Clementis“, communis Homiliarum et Recognitionum auctoris, invenitur apud Waitzium (p. 37 sqq.) et A. Harnack (d. Chronologie d. altchristl. Lit. 1904, p. 523 sqq.). — Auctorem „historiae Clementis“ breviter „christianum“ nominare liceat. Conspectus doctorum dissertationum apud Waitzium p. 376, A. Harnack Chronol. p. 517, Bardenhewer, Patrologie.

De Graecis historiae Clementis auctoribus viri docti nondum multum quaesiverunt, praeter W. Bousset[1]). Atqui operae pretium est. Hoc quidem loco fabellam et ex disputationibus philosophis quaestionem, quae est de providentia, diligentius tractabo. Male accidit, ut totae disputationes philosophae tantum in Recognitionibus, quarum Rufini versione latina utimur, inveniantur (VIII 4—IX 32).

Cap. I. De providentia (VIII 20—32).

Providentiam auctor historiae Clementis copiosa dissertatione dignam putavit, quae est dispositione valde lucida. Agitur, quam bene et pulchre omnia ordinata sint, quantopere omnia sint ratiocinantis mentis atque providentiae.

Describuntur.

A. Macrocosmus.

caelestia:	mundus	c. 20^{18}—22
sublimia:	venti et imbres	c. 23
terrena:	maria et fluvii	c. 24
	virgulta et bestiae	c. 25
	aqua	c. 26. 27.

B. Microcosmus.

hominis:	procreatio	c. 28
	structura corporis	c. 29—32.

Argumentum optime distributum est, nec obscurum erit, unde auctor hanc dispositionem hauserit. Eo magis

1) „Die Wiedererkennungs-Fabeln in den pseudoklementinischen Schriften, den Menaechmen des Plautus u. Shakespeares Komödie der Irrungen.“ Zeitschr. f. d. neutestamentl. Wissenschaft u. d. Kunde des Urchristentums hsg. von E. Preuschen, 1904, p. 18 ff.

aegre ferendum est, quod insequentibus capitibus mala quaedam adduntur analecta: c. 33^{1-3} („cetera animalia") et c. $33^{3.4.}$ (arbores, herbae) ad caput 25 referenda sunt. De quattuor vicissitudinibus temporum (c. 33^{4-7}) iam antea (c. 22^{7}) persimiliter disputatum est. Accedit de mundi aetate quaestio (c. 33^{7}—34^{6})[1]). Omnia illa ad capita egregie disposita male sunt adsuta neque celant vestigia retractatoris. Sed etiam his neglectis, quicunque hanc providentiae laudem legit, recordatur, quam gloriam ipsa providentia antea consecuta sit apud Stoicos. Testimonia etiam posteriorum auctorum, quibus utimur, hoc idem clamant.

Inter quae eminet alter liber, quem „de natura deorum" scripsit Cicero[2]). Conducit hunc scriptorem diligentius cum nostra de providentia disputatione comparare[3]).

Balbus Stoicus quaestionem suam ita dividit, ut primum doceat deos esse (II § 4—44), deinde quales sint (§ 45—72), tertium mundum ab iis administrari (§ 73—153), quartum eos consulere rebus humanis (§ 154—167).

Ad primam partem affert Cicero quattuor Cleanthis causas, de quibus „quartam — — esse, eamque vel maximam, aequabilitatem motus conversionumque caeli: solis, lunae siderumque omnium distinctionem, utilitatem, pulchritudinem, ordinem (§ 15)[4]). Ad eandem Cleanthis[5])

---

1) Eandem quaestionem movet Velleius contra Platonem (Cic. de nat. deor. I § 20—22). Philo, de provid. I § 6. Wendland, Philo's Schrift über die Vorsehung. Berlin 1892, p. 4.

2) Cicero de natura deorum ed. Plasberg.

3) Similitudinem Recognitionum et Ciceronis primus observavit Wendlandius.

4) cf. Aët. Plac. I 6,2 καλὸς δὲ ὁ κόσμος· δῆλον δὲ ἐκ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ χρώματος καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς περὶ τὸν κόσμον τῶν ἀστέρων ποικιλίας.

5) Hoc probavit Schmekel, Philos. d. mittl. Stoa. Berlin 1892, p. 89.

argumentationem pertinet § 17, ubi invenitur comparatio illa domus belle aedificatae exinde valde usitata[1]):

Cic. de nat. deor. II.

§ 17. „An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut etiamsi dominum non videas, muribus illam et mustelis aedificatam putes —: tantum ergo ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum caelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum si tuum, ac non deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare?"

Rec. VIII.

c. 20[18]. „Quis enim est exigui saltem sensus homo, qui cum cernat domum omnia quae ad usus necessaria sunt habentem, cuius cameram in sphaerae gyrum videat collectam, eamque vario splendore et diversis imaginibus depictam, luminaribus praecipuis et maximis adornatam; quis, inquam, est, qui huiusmodi fabricam videns, non statim pronuntiet, a sapientissimo et potentissimo artifice esse constructam? Et ita quis invenietur insipiens, — —"

Nec mirum, quod Cicero est brevior, cui postea uberior talia argumenta afferendi datur occasio. Ceterum eodem loco miratur uterque auctor, quemadmodum quattuor temporum vicissitudines cursibus solis serventur, et omnino quam miri sint cursus astrorum:

Cicero.

§ 19. „— — (Possentne) — una totius caeli conversione cursus astrorum dispares conservari?" (cf. II § 97).

Rec.

c. 22[3]. „Quis — — unicuique (sc. astrorum) tenere caeli ambitum dedit?"

---

1) Exempla collegit Wendland, Philo p. 10[1]. Idem, Arch. f. Gesch. d. Philos. I 206. — Aliter comparatus est locus initii fabulae (α. 18).

Eadem haud dubie sententia diversis verbis expressa est. Omnia illa Ciceroniana pertinent ad Cleanthem eademque habebant locum suum initio Posidonii libri περὶ θεῶν [1]).

Deinde, postquam prima alteraque partes perfectae sunt, pergit Cicero ad ipsam providentiam deorum:

Cicero.	Rec.
§ 75. „Dico igitur providentia deorum mundum et omnes mundi partes et initio constitutas esse et omni tempore administrari.“	c. 6^{16}. „Ego dico providentia dei gubernari mundum“, quae est „generalis omnium et specialis partium — —, quasi et ab initio omnia fecerit deus, et usque ad finem per singulos quosque providentiam gerat.“ (c. 11^{11}).

Ceterum apud Ciceronem quaestio rursus est tripertita (cf. § 75), sed neglectis duabus prioribus partibus transitur in Recognitionibus ad ipsam tertiam, quae „ducitur ex admiratione rerum caelestium atque terrestrium.“

Postquam initio mundum cum domo ab artifice aedificata comparavit, meditatur auctor, quomodo mundi sphaera nec „munimen“ habens nec fundamentum se ipsa possit librare.

Cicero.	Rec. [2]).
§ 115. „nihil maius, quam quod ita stabilis est mundus	c. 21^{3}. „Ponunt enim sphaeram aequaliter ex omni

1) Schmekel l. l. p. 90 sqq.

2) cf. Basilius Hexahem. I c. 10 B de terra Ὡς ἄρα διὰ τὸ τὴν μέσην τοῦ παντὸς εἰληφέναι χώραν, καὶ διὰ τὴν ἴσην πάντοθεν πρὸς τὸ ἄκρον ἀπόστασιν, οὐχ ἔχουσαν ὅπου μᾶλλον ἀποκλιθῇ, ἀναγκαίως μένειν ἐφ᾽ ἑαυτῆς, ἀδύνατον αὐτῇ παντελῶς τὴν ἐπί τι ῥοπὴν τῆς πανταχόθεν-περικειμένης ὁμοιότητος ἐμποιούσης. K. Gronau, Posidonius, eine Quelle für Basilius' Hexahemeros. Braunschweig 1912, p. 38 sqq. Plane eadem atque in Recogn. et apud Ciceronem de terrae positione profertur sententia.

atque ita cohaeret, ad permanendum ut nihil ne excogitari quidem possit aptius. Omnes enim partes eius undique medium locum capessentes nituntur aequaliter — — § 116. Quocirca, si mundus globosus est ob eamque causam omnes eius partes undique aequabiles, ipsae per se atque inter se continentur, contingere idem terrae necesse est, ut omnibus eius partibus in medium vergentibus (id autem medium infimum in sphaera est) nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum."

parte collectam et ad omnia similiter respicientem, atque a centro terrae aequis spatiis distinctam, ipsaque sui aequalitate ita stabilem, ut eam in nullam partem declinare undique aequalitas collecta permittat; et ita a nullo fulcimento subvecta sustentatur sphaera. Quod si vere hanc habeat similitudinem mundi machina, evidens est opus in ea divinum."

Sequitur Recognitionum caput 22, quod, ut supra ostendi, haud dubie ex Cleanthe vel potius Posidonii libro fluxit.

Deinde transit auctor ad sublimia, hoc est ventos et imbres (c. 23), quae post illa caelestia (c. 22) et ante terrena, quae sequuntur, optimum locum obtinent. Atqui Cicero, qui omnino in disponendo non nimis est religiosus, eam partem hic quidem non servavit (cf. infra § 101). Sed statim, ubi de terrenis agitur, inde a capite 24. nobis succurrit Romanus quoque scriptor. Conferas, quemadmodum uterque auctor loquatur de terra:

Cicero.

§ 98 (terra) „vestita floribus herbis arboribus frugibus, quorum omnium incre-

Rec.

c. 33[3] [re vera c. 25. vide supra p. 7]. „Haec testatur et arborum varietas herba-

dibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perennitates, — —

saxorum asperitates, impendentium montium altitudines — —“

rumque diversitas, tam specie variata quam succis.“

c. 24[1]. „Quid de fontibus dicemus et fluviis, qui perenni in mare fluunt meatu?“

c. 23[3]. „nam quod in terra montes excelsi certis quibusque habentur in locis — —“

Postquam arbores atque herbae illustratae sunt, sequuntur apud utrumque auctorem bestiae (Cic. § 99 ∼ Rec. c. 25[b]), sed ita, ut apud Ciceronem varietas generum, in Recognitionibus varietas procreationis describatur. Iam nunc neminem puto dubitare, quin communis auctor Ciceronis et Recognitionum ponendus sit. Apud illum communem auctorem facillime de bestiarum varietate et generum et procreationis disputari poterat casuque accidit, ut alter auctor genera, alter procreationem servaret. Ceteroqui de „procreatione“ bestiarum accedit gravissimus testis Sextus Empiricus. Conferas.

Sextus P. H. I.

§ 41. περὶ μὲν οὖν τὰς γενέσεις, ὅτι τῶν ζῴων τὰ μὲν χωρὶς μίξεως γίνεται τὰ δ' ἐκ συμπλοκῆς· καὶ τῶν μὲν χωρὶς μίξεως γινομένων τὰ μὲν ἐκ πυρὸς γίνεται ὡς τὰ ἐν ταῖς καμίνοις φαινόμενα ζωΰφια, τὰ δ' ἐξ ὕδατος φθειρομένου ὡς κώνωπες, τὰ δ' ἐξ οἴνου τρεπομένου ὡς σκνῖπες — — τὰ δ' ἐκ γῆς 1)

Rec.

c. 25[12]. „mutato ordine genus servare iussit (sc. providentia) in terris, verbi gratia ut per os conciperet corvus, — — mustela — gallinae — — lepores et hyaenae — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
— — — — — — — — —
alia etiam ex terra oriren-

1) Hoc loco statuit lacunam Fabricius addens ὡς μῦς (cf. editionem Mutschmannii p. 14 23). Sed vides fortasse (si Recognitiones sequimur) aliter esse supplendum.

	tur atque inde sumerent carnem, ut talpae
τὰ δ' ἐξ ἰλύος ὡς βάτραχοι, τὰ δ' ἐκ βορβόρου ὡς σκώληκες,	
τὰ δ' ἐξ ὄνων (sc. βορβόρου) ὡς κάνθαροι	alia ex fimo boum, ut scarabaei
τὰ δ' ἐκ λαχάνων ὡς κάμπαι τὰ δ' ἐκ καρπῶν ὡς οἱ ἐκ τῶν ἐρινεῶν ψῆνες,	alia ex herbis, ut de ocimo scorpius
τὰ δ' ἐκ ζῴων σηπομένων ὡς μέλισσαι ταύρων καὶ σφῆκες ἵππων.	alia ex putrefactis carnibus, ut vespae quidem equinis, apes autem bubulis.“

Non vereor, ne quis dubitet, num Sextus et Recognitiones eundem excerpant auctorem. Ubicunque diversa occurrunt, aut Sextus ipse nonnulla ex studiis suis addidit vel correxit aut „historiae“ vel Recognitionum auctor neglegenter rettulit. Cum tota compositio illius loci tum ipse verborum concentus docet communem esse ponendum auctorem. Quis ille fuerit, non iam dubium esse potest: idem qui communis est Ciceronis et Recognitionum auctor. Sextum autem novisse Posidonii librum περὶ θεῶν inter omnes constat[1]), et antea ex Recognitionum capitibus 20^b et 22 concludendum erat communem auctorem Ciceronis et Recognitionum fuisse Posidonium; ergo recte suspicati sumus in Posidonii libro de bestiarum varietate et generum (Cic. II § 99) et procreationis (Rec. VIII 25^b ∾ Sextus P. H. I § 41) disputatum esse.

Iam facultas datur cognoscendi, quantopere Cicero dispositionem neglegat. Consequenter quidem transit ad hominem ipsum itidem atque Recognitiones post arbores herbas bestias accedunt ad hominem contemplandum (c. 28 sqq.). Cicero incipit: „Quid iam de hominum genere dicam?“ (§ 99^b). Sed perpauca sunt atque ea, quae accu-

1) Quod ex nono adv. math. scripto libro post Wendlandium (Arch. f. Gesch. d. Phil. p. 405 sq.) demonstravit Schmekel l. l. p. 85 sqq.

ratius infra, ubi de hominum sollertia agitur (§ 151 sqq.), tractanda erant. Deinde redit Cicero ad ipsa caelestia et imprimis ad astra, quorum in studio diutius versatur (§ 102—119)[1]. Quo facto eadem servatur dispositio atque antea in Recognitionibus: „Age, ut a caelestibus rebus ad terrestres veniamus — —“ (§ 120), qua in parte iterum — haud aliter atque antea — primum de plantis (§ 120), deinde de bestiis (§ 121—130) disputatur. Hic saltem preciosa adduntur nonnulla, quae optime cum Recognitionum eadem parte concinunt.

Cicero.	Rec.
§ 127. „Ut vero perpetuus mundi esset ornatus, magna adhibita cura est a providentia deorum, ut semper essent et bestiarum genera et arborum omniumque rerum, quae a terra stirpibus continerentur. Quae quidem omnia eam vim seminis habent in se — —“	c. 25^{2}. „Nonne per providentiam factum est, ut cum senecta temporis resolverentur, virgulta quidem vel plantis vel seminibus quae ipsa dederint, animalia vero per progeniem reparentur?“
§ 128. Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conservationem earum generis appareat? Nam primum aliae mares, aliae feminae sunt, quod perpetuitatis causa machinata natura est — —; — —	c. 25^{8}. „Gignuntur autem non solum mares, sed et feminae, ut ex utroque possit rursus constare posteritas.“

1) Antea (§ 101) affertur de ortu ventorum doctrina. Secundum Recognitionum caput 23. nascuntur venti ex aëre montibus excelsis compresso et coangustato, cum Cicero ventos ex aëre mari finitimo oriri statuat (cum Cicerone cf. Aët. III 7 8). — § 131 loquitur Cicero de ventis Etesiis, „quorum flatu nimii temperantur calores“. Idem, sc. lenimentum caloris, repetit „christianus“ quoque a providentia, cum post illam de ortu ventorum doctrinam dicit „ex quibus (sc. ventis) et fructus germen concipiant et aestivus ardor temperiem sumat“ (c. 23^{6}).

quod (sc. animal) cum ex utero elapsum excidit, in is animantibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit, eaque, quae paulo ante nata sunt, sine magistro duce natura mammas adpetunt earumque ubertate saturantur.

c. 25^5. „Et mira quadam dispensatione providentiae nascituro pecori lac praeparatur in uberibus, ac statim ut natum fuerit, nullo docente scit, ubi alimoniae suae horrea requirat.“

Atque ut intellegamus nihil horum esse fortuitum et haec omnia esse opera providae sollertisque naturae:

quae multiplices fetus procreant, ut sues ut canes, is mammarum data est multitudo; quas easdem paucas habent eae bestiae quae pauca gignunt.“

c. 25^9. „Sed ne, ut putant homines, viderentur haec naturae[1]) quodam ordine et non dispensatione fieri conditoris:

— — mutato ordine genus servare iussit (sc. providentia) in terris — —“ [sequuntur diversa procreationis genera, corvorum, mustelarum; vide supra p. 11 sq.].

Cum in postremo exemplo (sc. in „rationabili“ procreationis varietate illustranda) primum quidem inter se consentiant, in ipsa conclusione differunt auctores[2]).

Postquam apud Ciceronem § 130 parum apto loco flumina descripta sunt (∾ Rec. VIII 24), tandem transitur ad ipsum **h o m i n e m** (§ 134). Quaestio primum est tri-

---

1) Apud „christianum“ (contra Stoicos) „natura“ videlicet caret ratione.

2) Recognitionnm capitibus 26 et 27 mira describitur vis aquae: si quis in olla terrae plena semina serat, herbas vel similia, quae inde nascantur, omnem accipere vim non ex terra, sed ex aqua infusa, quae mirum in modum consumatur (c. 27^8). cf. Sextus P. H. I § 53 ὥσπερ τὸ ὕδωρ ἓν καὶ μονοειδὲς ἀναδιδόμενον εἰς τὰ δένδρα ὅπου μὲν γίνεται φλοιὸς ὅπου δὲ κλάδος ὅπου δὲ καρπὸς καὶ ἤδη σῦκον καὶ ῥοιὰ καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον. Putaverit quispiam hoc sapere Hipponem Rheginum (de quo Zeller[5] I 1 p. 255). — Quam grata (propter baptismum!) „christiano“ talis aquae praedicatio fuerit, docet libri VI cap. 9^9.

pertita, „cum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu", sed cibus et potio in unam confunduntur partem (§ 134—138), qua quomodo cibi digerantur describitur.

Cicero.	Rec.
§ 134. „ad haec omnia percipienda (sc. cibum potionem spiritum) os est aptissimum. Quod adiunctis naribus spiritu augetur;	c. 30[1]. „Sed et nares, commeandi flatus et reddendi ac recipiendi gratia factae sunt, ut innovatione spiritus — —"
dentibus autem in ore constructis mandatur atque ab is extennatur et mollitur cibus. Eorum adversi acuti morsu dividunt escas, intimi autem conficiunt, qui gemini vocantur; quae confectio etiam a lingua adiuvari videtur.	c. 29[14]. „ipsi vero dentes alii ut incidant et dividant cibos et interioribus tradant, interiores vero, ut in modum molae conficiant et comminuant, quo opportunius stomacho traditi coquantur,— —
Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus, quo primum inlabuntur ea quae accepta sunt ore. — — Atque is agitatione et motibus linguae cum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit."	[c. 29[13]. „lingua .. illisa dentibus"]
§ 136. „Est autem (sc. alvus) multiplex et tortuosa arcetque et continet, sive illud aridum est sive humidum, quod recipit, ut id mutari et concoqui possit —"	c. 31[1]. „Quae (sc. intestina) idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, ut susceptas digestiones ciborum paulatim egerant, — — Membranae autem in modum idcirco facta sunt,

Cicero.

§ 136. „In pulmonibus autem inest raritas quaedam et adsimilis spongiis mollitudo ad hauriendum spiritum aptissima, qui tum se contrahunt adspirantes tum in respirando dilatantur, ut frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes."

§ 137. „Ex intestinis autem secretus a reliquo cibo sucus is que alimur permanat ad iecur — —"

„ab eo cibo cum est secreta bilis eique umores qui e renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt ad easdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius (sc. sanguinis) viae pertinent."

Rec.

ut ex ipis ea quae extrinsecus sunt, humorem sensim suscipiant.

c. 30[4]. „qui (sc. pulmo) pectori inhaerere datus est, ut mollitie sui palpet et foveat cordis vigorem [cf. Cic. § 136 „pulmones autem et cor extrinsecus spiritum adducant"], in quo videtur vita consistere, vita dico, non anima" [1]).

c. 30[9]. „totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis (sc. sanguis), iecoris opere ministratus, quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanquinem mutandorum [2]) in dextero latere iacet.

In sinistro vero splenis est locus, qui trahere ad se et purgare quodammodo sordes sanguinis possit."

1) „christianus" in eo offendisse videtur, quod spiritus pulmonum idem esset atque „anima". — Ceterum quam non apte apud utrumque auctorem hoc loco, qui est de digestione, disputari de pulmonibus satis apparet.

2) Apud Ciceronem describitur, quomodo cibus iecore in sanguinem mutetur, id quod in Recognitionibus non accurate exponitur.

Deinde apud Ciceronem exponitur, quomodo sanguis tali ratione ex cibo mutatus confluat ad cor, unde in totius penetret corporis partes. Hoc quidem diligentius describere supervacaneum duxit „christianus“, cuius disputatio omnino, ut intellegatur, Ciceronis quamvis ieiuno commentariolo admodum eget.

Paragrapho 138. ut promissis stet, perpauca disputat Cicero de „spiritu“; deinde pergit ad ossa et nervos sensuumque organa quaerenda (§ 139—150). Eademque in parte non desunt communis auctoris vestigia:

Cicero.	Rec.
§ 139. „Quid dicam de ossibus; quae subiecta corpori mirabiles commissuras habent et ad stabilitatem aptas et ad artus finiendos adcommodatas et ad motum et ad omnem corporis actionem.“	c. 29[1]. „Et vide in hoc artificis opus, quomodo ossa velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur ac portetur, inservit.“

Aegre ferendum est, quod Cicero in sensibus describendis ordinem admodum repudiat; velut de oculis tribus disserit diversis locis (§ 140. 142. 145):

Cicero.	Rec.
§ 140. „Nam oculi tamquam speculatores altissimum locum optinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere“; (§ 142). § 143 „latent (sc. oculi) praeterea utiliter et excelsis undique partibus saepiuntur. Primum enim superiora superciliis obducta sudorem a capite et fronte defluentem repellunt — — —“	c. 29[9]. „oculi, ut visibus serviant, superciliorum excubiis custoditi“ — —

In Recognitionibus epitomae ineptioris vestigia agnoscimus, quod illud quidem „ut visibus serviant“ (∼ „tanquam speculatores“. Cic.) fideliter ponunt, deinde autem non pergunt: „altissimum locum optinent“ (Cic.), sed transiliunt ad ipsa „supercilia“, quae longe alia de causa „oculos custodiunt“, sc. ut sudorem detineant (Cic.). Omnino id, quod apud Ciceronem plurimum valet, providens ratio, quacum sensuum organa in ipso capite hominis posita sunt, in Recognitionibus silentio quidem praetermittitur, sed tale quid apud auctorem non defuisse satis ex loco allato liquet. Contra Cicero tacet de structura corporis, cuius oculus oculo, auris auri, omnino dextera pars respondet sinistrae (Rec. VIII c. 29^{3-8}).

Deinde:

Cicero.	Rec.
§ 144. „extra autem eminent — aures —, ne adiectae voces laberentur atque errarent, prius quam sensus ab iis pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus;“	c. 29^{10}. „aures ad audiendum ita formatae, ut cymbalis similes suscepti verbi repercussum sonitum altius reddant, et usque ad sensum cordis emittunt.“
§ 149. „in ore sita lingua est finita dentibus; ea vocem immoderate profusam fingit et terminat atque sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum et dentes et alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordaeum dentes, nares cornibus is, qui ad nervos resonant in cantibus“.	c. 29^{13}. „lingua autem ad loquendum illisa dentibus plectri reddat officium.“

Hic quoque in Recognitionibus interpretandis Ciceronis libro quasi commentario utendum est.

Cicero.	Rec.
§ 150. „Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit" 1).	cap. 29[3]. „Tum deinde aequalis ex utraque parte, id est dextera ac laeva, mensura servitur, ut congruat pes pedi, et manus manui, digiti quoque digitis, ut singuli ad singulos tota aequalitate concordent." (cf. supra).

Postremo rursus loco Recognitiones fluunt uberius, sed, ut saepius, uterque auctor eandem cogitationem flectit diversam in partem: velut hic loquuntur Recognitiones de mira artuum „formarum" responsione, cum Cicero, quam apte ad „operandum" manus digitique instituta sint, illustrare studeat. —

Quicunque, ut nos, Ciceronis libri paragraphos 17. 19. 75—150 cum Recognitionum libri IX capitibus 11[11. f.], 20[18]—33 comparat, facere non potest, quin communem utriusque auctoris fontem statuat. Quod non solum propter dispositionem, sed ipsum verborum concentum poscitur. Itidem qui Ciceronis paragraphos 17 et 19 (de Cleanthe) ex Posidonii libro περὶ θεῶν fluxisse Schmekelio concessit, ei concedendum est Recognitionum non solum capita 20[b]. 22 (33[b]) sed totam de providentia disputationem (c.20[18]—33) referendam esse ad ipsum Posidonium. —

---

1) cf. Rec. c. 29[8] „Manus quidem ut operi commodae sint".

Cap. II. De fabella.

Disputationes Laodiceenses, quae sunt de providentia, cum ad certum fontem rettulerimus, summi momenti est cognoscere, utrum fabella quoque, qua „christianus“ utitur, ad fontem quendam redeat.

1. De horoscopio.

Primo quae ante initium fabulae familiae Clementis Romae acciderint comperire iuvat. Mira sunt fata, neque semel ostenduntur [1]). Mattidia aliquando marito narravit nocte quendam sibi dixisse, nisi cum duobus filiis Roma abiret, totam familiam perituram esse (ιβ 16[3]). Faustus, qui hoc verum esse putavit, perterritus uxorem cum filiis Athenas proficisci iussit et solum Clementem secum habebat. Postero anno pater valde sollicitus misit, qui sibi de uxore carissima et filiis nuntiarent. Non redeunt. Nuntii tertio anno missi, qui quarto anno revertuntur, nihil de Mattidia nuntiare possunt. Iam currit pater ad Portum (Augusti) et accuratissime ex omnibus nautis quaerit, numquid de Mattidia audiverint. Alius alia dicit. ὁ πατὴρ ἀκούων ἐστέναξεν· πλὴν ὑπὸ σπλάγχνων θορυβούμενος ἀλόγιστα ἐπυνθάνετο, ὅτι τοσοῦτον μέγεθος θαλάττης ἐρευνᾶν ἐπειρᾶτο — — — τῇ πρὸς τοὺς ζητουμένους στοργῇ ἐλπίσιν ἐβουκολεῖτο κεναῖς (ιβ 10[10]). Postremo temperare sibi non potest, quin Clemente Romae relicto ipse ad familiam quaerendam proficiscatur [2]).

Ea omnia rettulit Clemens Antaradi cum Petro solus relictus. Postridie Mattidia, quae ante portas templi Aradi mendicat, testatur se non vidisse somnium, sed fratrem mariti in tam vesanum amorem sui incidisse, ut ipsa cupiditates eius, nisi emigraret, effugere non posset; ea de causa se somnium finxisse.

1) ιβ 8—10; ιβ 15. 16; VII 26. 27; ιδ 7 ∾ IX 32. 33; IX 36.
2) ιβ 8—10.

Utraque narratiuncula videlicet optime inter se concinit. — Longe aliter tota res a Fausto describitur. Senem, postquam Petrum et tres fratres in litore maris orantes invenit, miseret tantae stultitiae: Οὔτε γὰρ θεός ἐστιν οὔτε πρόνοια, ἀλλὰ γενέσει τὰ πάντα ὑπόκειται, ὡς ἐγὼ ἐφ' οἷς πέπονθα πεπληροφόρημαι (ι δ 3^{30}). Quod schemate ipsius[1]) uxoris comprobare studet:

ι δ 6^{8} αὐτῆς τὸ διάθεμα: ποιοῦν μοιχάδας, ἰδίων δούλων ἐρώσας, καὶ ἐπὶ ξένης ἐν ὕδασιν θνησκούσας. ὃ καὶ οὕτω γέγονεν. ἐρασθεῖσα γὰρ τοῦ ἰδίου δούλου, — — φυγοῦσα σὺν αὐτῷ, ἐν ἀλλοδαπῇ ὁρμήσασα καὶ κοίτης αὐτῷ κοινωνήσασα θαλάσσῃ διεφθάρη. Petrus eum interrogat, unde sciat illam a servo in matrimonium ductam mortuam esse. Faustus: Ἀσφαλῶς οἶδα, τἀληθῆ οὐχ ὅτι ἔγημεν (ὁπότε οὐδ' ὅτι ἤρα ἐγίνωσκον). Omnia igitur, quae antecedunt, sc. uxoris cum servo proprio fuga, οὕτω γέγονεν. Id non modo genesis indicavit, sed ipse se re vera expertum esse non semel testatur[2]). — Ceterum pergit Faustus:

c. 7^{15}. ἀλλὰ μετὰ τὴν αὐτῆς ἀπαλλαγὴν ὁ ἀδελφὸς — — ἐμοὶ διηγήσατο πάντα τὰ κατὰ τὸν αὐτῆς ἔρωτα — — (exspectaremus τὸν αὐτῆς <πρὸς τὸν δοῦλον> ἔρωτα), sed pergit: καὶ ὡς σεμνὸς ὢν (ἅτε δὴ ἀδελφὸς) οὐκ ἐβουλήθη μιᾶναι τὴν κοίτην.

IX 33^{5}. „sed postquam profecta est, frater meus mihi enarravit, dicens quod primo quidem ipsum adamasset, sed ille, quia erat honestus, utpote frater noluit torum fratris incesti macula polluere."

Quid dicamus? usque ad versum 15. (capitis 7.) omnes credere necesse erat Faustum sibi persuasisse Mattidiam aufugisse propter amorem s e r v i. Inde autem a versu 15. nihil de servo audimus, sed eam aufugisse propter amorem

1) In Homiliis Faustus hoc quasi de amici cuiusdam uxore factum narrat; illam „fictionem" esse ineptum additamentum Homiliarum alio loco exposui. In Recogn. IX $32^{10-f.}$ genuina forma legitur.

2) cf. ι δ 3^{31}, 6^{7}, 6^{10}. —

fratris mariti[1]). Atqui Faustus, quam rectum atque verum illud uxoris schema fuerit, verbis exprimere non potest, quin etiam post tres de genesi refutanda disputationes acutissimas affirmat: „a propria conscientia prohibeor accommodare consensum“ (IX 32^{4}).

Duae igitur afferuntur causae, quibus Mattidiae adulterium confirmatur: horoscopium et calumnia fratris. Sed in horoscopio nihil de „fratre mariti“, in calumnia fratris nihil de „servo proprio“ dicitur. Altera haud dubie causa alteram excludit, neque fieri potest, quin statuamus duas versiones contaminatas esse:

1) Mattidia a fratre mariti amata fugere maluit quam familiam nobilissimam foedare. Quare somnium finxit. Postquam profecta est, frater eam apud maritum accusat.

2) Mattidia aliqua de causa emigravit. Maritus, qui multos annos nihil de uxore audivit, proficiscitur ad quaerendum. Alicubi in alienis terris de uxoris schemate certior factus iam scit eam emigravisse, ut servo amato nuberet.

Prior versio estne apta ad reliquam fabulam? Postquam uxor cum filiis Athenas profecta est, frater marito narrat se a Mattidia vehementer amatum ob opprobrium familiae vitandum amorem repudiasse; ea de causa Mattidiam emigravisse. Faustus igitur Mattidiae adulterii consilium sciat opus est. Atqui his compertis desiderio lascivae mulierculae tabescens, postquam Romae quattuor annos paene cotidie nuntios exspectavit, vultne postremo terras et maria peragrare ad uxorem quaerendam? Absurdum est, praesertim cum recordemur, quemadmodum paulo ante pater Romae vana spe iactatus depictus sit (cf. supra p. 20); illam quidem descriptionem nemo tali

1) Celerius quam in Homiliis fraus detegitur in Recognitionibus:

Hom.	Rec.
frater narravit τὰ κατὰ τὸν αὐτῆς ἔρωτα. Incerta igitur est elocutio.	„frater dicens, quod primo quidem ipsum (sc. fratrem) adamasset.“

sententia evertere audebit. Accedit hoc: qua de causa pater Clementem celavit, quam eximiam matrem haberet? Clemens enim nefastum illum amorem omnino nescit (ιβ 8—10).

Iam vero putaverit quispiam illam quidem calumniam fratris mariti esse subditiciam, sed nihilo minus Mattidiam re vera propter amorem fratris aufugisse; deinde Faustum nescium nonnullis annis post abiisse ad uxorem quaerendam. Quod per se aptum videtur. Haud dubie autem de fine fabellae in eandem difficultatem incidimus atque antea. Amor fratris mariti et amor servi (horoscopii) tam similia ad fabulam continuandam sunt momenta, ut necessario alterum altero excludatur. Sed hanc rem omittamus. Si re vera in fabella pristina (talem a „christiano" adhibitam esse iam nunc constat) frater quidam mariti tantas partes egisset, nonne exspectaremus ipsius fratris mariti graviora inventum iri vestigia? Hoc minime fit, quamvis etiam apud „christianum" optima sit occasio. Antaradi Petrus interrogat Clementem Οὐδεὶς δέ σου ἀληθῶς πρὸς γένους ὑπάρχει; Clemens respondet Εἰσὶν μὲν πολλοὶ καὶ μεγάλοι ἄνδρες, Καίσαρος πρὸς γένους ὄντες (ιβ 8^{17}). Qua de causa hoc loco, ubi Clemens de gente sua, de Fausto cum Caesare educato, de Mattidia eadem de gente nata diligentissime refert, gravissima fratris mariti persona non memoretur, nemo intellegit. Praeterea Clemens narrat patrem, priusquam proficisceretur, se tertium filium tutoribus commendavisse [1]). Iterum egregia erat facultas illius fratris introducendi. Atqui in tota Clementis narratione ne uno quidem verbo talis frater memoratur. Postremo satis mala sit fabella, in qua Faustus eiusque frater per complures post Mattidiae fugam annos Romae una vitam degerint, sed frater cum marito de illa re nihil (ne calumnians quidem) locutus sit.

1) καὶ δή ποτε ὑπὸ φροντιστὰς ποιήσας με καὶ εἰς Ῥώμην καταλείψας (ιβ 10^{13}).

Quae cum ita sint, nonne est veri similius non modo calumniam (de qua nemo dubitat), sed ipsam personam fratris mariti a „christiano“ esse additam? —

Relinquitur altera, quam statuimus, versio. Antea dixi Mattidiam „aliqua de causa“ emigravisse. Ponamus eam finxisse illud somnium. Nonne mirum est, quod, si quam causam emigrandi ipsa quidem habet, non sola emigrat, sed e tribus pueris duos sibi usurpat et tertium patri relinquit? Atqui pater est valde φιλότεκνος (ιβ 9[30]). Ceterum si Mattidia nihilo minus somnium finxit, re vera aliam causam habuerit oportet. Haec alia causa a fabula non suppeditatur, cum amorem fratris genuinum esse negaverimus. Iam vero cur necesse est putemus eam somnium finxisse? Multo melius fabula procedit, si re vera Mattidia cum duobus filiis emigrare somnio iussa est. Artificium lucidissimum comprehendimus: auctoris illius fabellae intererat describere ἀναγνωρίσεις; si Mattidia cum duobus filiis emigrat, auctor naufragio etiam matrem et filios separare potest, ut tres recognitiones fieri possint. Persimili de causa atque est somnium Mattidiae, fabulatores actores suos domo proficiscentes faciunt, cum oraculum introducunt, quod eos iter facere iubet.

Suo iure interrogaverit quispiam, cur auctor „historiae Clementis“ illam fabulam mutaverit. Fortasse quia pro christiana ratione veritus est describere Mattidiam re vera paganorum fabulatorum ratione somnio cum filiis emigrare iussam esse. Alias idcirco causas quaerebat, nec mirum, quod in gratissimum uxoris ab adultero amatae et postea male accusatae argumentum incidit. Qua in re accidit — hoc fieri solet — ut non modo fratris amorem, qui aliqua ex parte aptus esse potuit, sed etiam molestissimam calumniam inopinatus mutuaretur.

Utrumque argumentum, amorem et calumniam fratris, „christianum“ apud nescio quem auctorem coniunctum invenisse veri simillimum est.

Recuperamus igitur hoc fere fabellae argumentum:

Faustus et Mattidia feliciter vixerant, cum Mattidia cum duobus filiis emigrare somnio iussa est; idem somnium monuit, nisi emigraret totam familiam perituram esse. Omnia deinde procedunt, ut ιβ 8—10 legimus: pater uxorem et filios ad portum comitatur, nonnullis annis post ipse desiderio coactus proficiscitur.

Iam vero gravissima de horoscopio quaestio solvenda est. Ubi Faustus illud Mattidiae cum servo proprio schema cognoscere potuit? Apparet hoc non Romae factum esse. Nam et Clemens horoscopium ignorat neque fieri potest, ut Faustus, quamquam ex schemate Romae cognito Mattidiam adulteram „in aquis defunctam" esse non ignorat, tamen bis nuntiis missis postremo ad fidelissimam uxorem quaerendam proficiscatur. Ergo infelix pater in alienis demum terris horoscopium cognovit. Ceterum ipse hoc concedit, cum ad Petrum dicit: συνῆν μοί τις ἀστρολόγων ἄριστος — —, ὅστις ἐν ταῖς ἀποδημίαις κατ' ἀρχάς μοι φιλωθεὶς τὸν τῆς ἐμῆς συμβίου μετὰ τῶν τέκνων θάνατον ἐδήλου (ιδ 11[10]) [1]). Alienis igitur in terris Faustus cognovit astrologum quendam, qui ei hoc schema Mattidiae ostendit: IX 32[11] „Habuit enim Martem cum Venere super centrum, Lunam vero in occasu in domibus Martis et finibus Saturni, quod schema adulteras facit et servos proprios amare, in peregrinatione et in aquis defungi".

Facile fingere possumus miserum patrem esse perterritum, cum tale responsum ab astrologo audivisset. Nam re vera Mattidia emigraverat (cf. „in peregrinatione") et navem ascenderat (cf. „in aquis"). Eratne autem verisimile eam aufugisse cum „proprio servo"? — Clemens narravit Mattidiam marito dixisse se cum duobus filiis emigrare somnio iussam esse; ὁ μὲν οὖν πατὴρ φιλότεκνος ὢν σύν τε δούλοις καὶ δούλαις ἐφοδιάσας ἱκανῶς καὶ εἰς

1) Locum, quamvis tantum in Homiliis traditus sit, genuinum esse et ipsa re postulari satis apparet. Ceterum in Homiliis ineptissime ille astrologus est Annubio, cum in ipsa Homiliarum extrema fabula (κ 11[29]) affirmetur Annubionem esse Fausti amicum ἐκ πρώτης ἡλικίας.

πλοῖον ἐμβαλόμενος εἰς τὰς Ἀθήνας ἅμα παιδευθησομένους ἐξέπεμψεν (ι β 9^{29})[1]).

Neque enim absurde mihi videor statuere rationem intercedere inter „servos proprios“ schematis et „servos“ a Fausto Mattidiae adiunctos. Hoc si quis concedit, multo magis consentaneum ducit Faustum dicere IX 32^{6} „scio ea quae unicuique nostrum dictabat genesis accidisse, et ab his quae rebus et operibus comperta sunt mihi, nunc (sc. post tres de genesi disputationes!) verbis transferri non possum“[2]). Inopinatus pater (si recte putamus) ipse ad genesin perficiendam gravissimum tribuit: „servos proprios“. Facile credi potest Faustum deinde in alienis illis terris miserrimam vitam agere maluisse quam hoc fato comperto domum redire. Invenimus senem sordida veste indutum (ι δ 3^{35}, 2^{18}), cum antea fuerit ἐν πολλῇ βίου περιουσίᾳ (c. 3^{1})[3]).

Ut statim de ipso Mattidiae schemate pauca disputem: veri simillimum putet quispiam „christianum“ illud horoscopium in fabellam inseruisse, quo facilius postea contra astrologiam disputari possit. Hoc si ita se habet, „christianus“ totam fabellam haud dubio prorsus mutavit vel potius evertit. Concedo hoc fieri potuisse, quamquam multo graviora vestigia talis mutationis inveniri consentaneum est. Quid autem? quod schema Mattidiae multo melius ad ipsam fabellam convenit quam ad disputationes astrologiae. Fere idem horoscopium atque Mattidiae antea mediis in disputationibus a Fausto affertur in capite 17^{7} libri IX[4]):

1) = VII 9^{1} „adiunctis servis et ancillis“. Etiam de ficto amico (quae est inventio Homiliarum) Faustus ipse narrat: αὐτοὺς παιδευθησομένους εἰς τὰς Ἀθήνας ἐξέπεμψεν σὺν τῇ μητρὶ καὶ δούλοις (ι δ 7^{24}).

2) Hanc rationem „christianus“ omnino neglexit; quo fit, ut nemo comprehendat Faustum uxoris schema fuisse verum iterum ac saepius ipsius conscientia confirmare.

3) De itineribus eius fragmenta ab Homiliis servata sunt, ubi Seleucia memoratur (ι δ 7^{33}).

4) Ibi et sequentibus in capitibus multa schemata enumerantur.

„Sed et ipse rursus Mars ad Venerem schema tetragonum habens, ex parte ad centrum non respiciente aliquo bonorum, adulteros efficit — —“.. Vix aptum est hoc loco simillimum schema atque Mattidiae a Fausto ita tractari, ut nemo divinare possit hoc schema ad ipsius fata pertinere[1]). Contra (ut ostendimus) haud dubie contigit, ut schema Mattidiae artissimis vinculis coniungeremus cum fabella, quam restituimus. Ergo horoscopium, quod cum disputationibus satis moleste coniunctum est, eo aptius ad fabellam referimus, ubi proprius ille „servus“ genuinum locum obtinet. —

Postquam omnia (si Mattidiam in mari a „propriis servis“ circumdatam fingimus) ad genesin perficiendam optime praeparata sunt, accidit naufragium, quo magis optatum artificium fabulatores nesciunt, hic quidem bis optatum, cum horoscopium naufragio, alterum fatum altero tollatur. Faustus ubi primum audivit Mattidiam non modo non „in aquis defunctam esse“, sed vivere, astrologum erravisse et illud schema uxoris falsum fuisse pro certo habere potest[2]).

Ea omnia si nobiscum reputamus, fabella ita fere restitui potest: Faustus et Mattidia feciliter vitam agunt; Mattidia somnio coacta cum duobus filiis servisque adiunctis emigrat; maritus desiderio tabescens nonnullis annis post proficiscitur ad uxorem quaerendam; postquam ab astrologo quodam in alienis terris schema uxoris audivit, de salute desperans pauper atque miser non reversus vitam degit; postremo accidit anagnorisis.

Quodsi re vera „christianus“ tali fabella usus est,

---

1) Quin etiam de servorum amore disputatur (IX 23⁵).

2) Conferas, quae in Homiliis (similiter in Recogn. libri X capitibus 11 et 12) post ipsam anagnorisin loquatur Ἀλλὰ καὶ πολλὰ πταίειν οἶδα τοὺς ἀστρολόγους, πολλὰ δὲ καὶ ἀληθεύειν (ιδ 11¹⁶). Hoc enuntiatum in „historia“ (propter anagnorisin Fausti) certe non exstitit; atqui non male redolet Graecum de astrologia iudicium; similiter iudicaverit auctor fabellae (quem Homiliarum auctor videlicet ignorat).

videamus oportet, utrum reliqua familiae membra fabellam sequantur necne.

2. De Clemente Niceta Aquila et anagnorisi Fausti.

Petrus et Clemens cum Mattidia in insula Arado recognita Laodiceam perveniunt, ubi Niceta et Aquila eos ante portas receptos, quam mulierem Clemens secum habeat, interrogant. Petrus narrat quae acciderint, mater autem Mattidia abest. Quam ad salutandam statim in cubiculum, ubi illa dormit, penetrare student. Sed Petrus eos aliquamdiu retinet, ut mulieris animum praeparet[1]).

Iuvat hoc loco Clementis personas observare, neque nemo miratur, quod Niceta et Aquila non amplectuntur fratrem, praesertim cum ille adsit (ιγ 2^{24}) et matrem amplecti nondum liceat. Nihil eiusmodi audimus. Incredibile autem est auditu Clementem et fratres ne tum quidem se recognoscere, cum Nicetae et Aquilae tandem liceat matrem amplecti (ιγ 6^{11} = VII 31^{1})[2]). Anagnorisis Clementis et fratrum, quamvis fabula inscribatur ἀναγνωρίσεις, omnino nusquam invenitur, sed silentio praetermittitur. Auctorem Clementem, quasi protagonisten fabulae, fratrum anagnorisis expertem facere et rem gravissimam oblivisci explicare non possumus nisi cum ponimus Clementis personam ab ἀναγνωρίσεων narratione prorsus secernendam esse.

Haec sententia alio quoque loco commendatur. Clemens Petro narravit patrem desiderio impulsum ad uxorem quaerendam Roma abiisse; tertium filium, quem in urbe relinqueret, eum tradidisse tutoribus educandum. Nonne mirum videtur, quod Faustus, etiamsi Mattidiam et duos filios interisse ex horoscopio in alienis terris comperit, non

---

1) ιγ 1 sqq. = VII 25 sqq.

2) Clemens videlicet eidem anagnorisi interest (ιγ 10^{24}).

revertitur Romam, ut uno filio Clemente fruatur? Post anagnorisin Faustus ipse narrat Οὐ γὰρ ἠδυνάμην περὶ τῶν ἐμοὶ ἠγαπημένων (sc. de Mattidia et duobus filiis) τὰ μέγιστα ὡς περὶ θανόντων κρίνας, πρὸς τὴν τοῦ βίου τροφὴν (sc. Romam) ἑαυτὸν ἀποδιδόναι [1]). Pater tantum de Mattidia et duobus filiis cogitat; tertium filium omnino oblitus esse videtur.

Si has discrepantias, quae facile augeri possunt [2]), nobiscum reputamus, statuendum est, quamvis auctor Clementem artissime cum fatis illius familiae coniungere studeat, tamen tertium illum filium meram esse fictionem, qua sublata fabella pristina multo facilius procedit. —

Nicetas et Aquila, quae sibi post nocturnum illud naufragium acciderint, matri post anagnorisin narrant: nave scissa piratas se pueros excepisse et in forum Caesareae Stratonis traxisse, postquam nomina „Faustini" et „Faustiniani" mutavissent; mulierem quandam (Iustam) se emisse. Haec omnia ad fabellam conveniunt. De Iusta nonnulla narrantur, quae nisi christianus addere non potuit [3]). Etiam quae sequuntur, haud dubie ab auctore addita sunt: Iusta Nicetam et Aquilam cum Simone mago educandos et omnibus artibus liberalibus erudiendos curat. Quid hoc sibi velit, ex disputationibus postea cum Fausto habitis intellegi potest, ubi Niceta et Aquila cum sene acutissime de genesi contendunt. Illas autem disputationes a „christiano" aliunde haustas esse scimus. Quae igitur Faustino et Faustiniano (fabellae pristinae) a muliere emptis usque ad anagnorisin acciderint, nescimus.

---

1) ι δ 10^5 Locus non invenitur nisi in Hom., sed simillimae causae Fausto in „historia" afferenda erant.

2) Aliis de causis iam Boussetius conclusit Clementem a fabella secernendum esse („Die Wiedererkennungsfabel in den pseudoklem. Schriften" — — —, Zeitschr. f. d. neutestam. Wiss. 1904, p. 19 sq.

3) β $19—20^{10}$ Justa est Cananaea illa, quae a Iesu sanata convertitur; idcirco a marito repudiata filiam Bereniken Iudaeo Tyri incolae in matrimonium dat; solacii causa duos illos pueros a piratis emit (cf. Lagarde, praef. p. 12).

Aradi anagnorisis Mattidiae et Clementis valde speciosa facta est (ι β 12—24). Dum discipuli Petri in templo illas columnas viteas admirantur, mulier ante portas mendicans apostolo mira sua fata detegit. Iam Petrus, quomodo res se habeat, intellegit. Sed subito fingit mulier se esse Ephesiam, maritum Siculum. Petrus hoc verum esse arbitratus valde contristatur dicens sibi esse comitem adulescentem Romanum, qui paulo ante fabulam de ipsius familia narraverit simillimam. Mulier tremens atque stupens interrogat, quod nomen adulescenti sit. Sed ipsa dicere mavult: „Clemens". — Ille interim ad navem revertit. Petrus mulierem manu ducens ad litus pergit. Clemens multo cum risu miratur, quam deformem mulierculam apostolus secum habeat, sed, ne inurbanus videatur, altera manu mulieris prehensa ipse tertius ambulat. Ubi primum manum tetigit, illa ὀλολύξασα ὡς μήτηρ μέγα καὶ περιπλακεῖσα σφόδρα κατεφίλει με τὸν αὐτῆς υἱόν (ι β 22^5). Clemens obstupefactus, quid hoc sibi velit, ne interrogare quidem audet. Petrus autem monet Τί ποιεῖς, τέκνον Κλήμης, ἀποσειόμενος τὴν σὴν ὄντως τεκοῦσαν; sequitur anagnorisis (ι β 23^8).

Ea omnia non sine facetia scripta sunt; fabula lepidissime procedit, nusquam offendimus. Iam Clemens cum matre et Petro Antaradum rediturus erat, cum Mattidia hospitae, apud quam tot annos habitaverat, valedicere cupivit. Illius enim maritus, nauta iuvenis, in mari perierat; ex quo tempore pauperculam vitam cum Mattidia degerat. Clemens eam munificis muneribus donavit et principi insulae commendavit[1]).

Triduo post perveniunt Laodiceam. Niceta et Aquila, qui eos ante portas receptos in hospitium duxerunt, mirantur, qualem mulierculam Clemens secum ducat. Et

1) „christianus" pauca addidit: Petrus hospitam aegram sanat. In Hom. Mattidia quoque sanatur, cuius bracchia pristinis morsibus et planctu tantopere lacerata sunt, ut mendicare cogeretur. Dubito, num haec ad „christianum" pertineant, cum in Recogn. desint (VII 23).

rem satis miram videri discipulis Petri consentaneum erat[1]). Dum Petrus omnia recto ordine narrat et Mattidia (ut consentaneum) in Recognitionibus certe adest[2]), Nicetas et Aquila sermone interrupto clamant se esse Faustinum et Faustinianum. καὶ τοῦτ' εἰπόντες μετὰ δακρύων ἐπεισῆλθαν τῇ μητρὶ καὶ κοιμωμένην εὑρόντες ἤδη περιπλέκεσθαι ἐβούλοντο (ιγ 3^5). Molestissime igitur auctor subito Mattidiam minime adesse affirmat. Quo fit, ut Petrus Nicetam et Aquilam in cubiculum penetrantes retineat, ne mater somno excitata nimia laetitia opprimatur. Ceterum est vespera, cum Petrus ceterique hoc die Gabala Laodiceam iter fecerint. Cur mater in ipsa vespera dormiat — et satis diu — non intellegitur. Deinde Petrus matrem ad anagnorisin „praeparare“ studet; huius consilii gratia incipit a christiana doctrina. Deinde multa verba facit de „sequestratione“, quae vocatur[3]). Cum illa lex in fabula nostra satis multum valeat[4]), satis mirum est, quod Petrus quattuor diebus iam intermissis de hac re loquitur. — Mattidia parata est ad baptizandum: hoc ipsa eo confirmat, quod priorem castitatem celebrat et valde aegre fert filios suos Faustinum et Faustinianum illa tempestate perisse non baptizatos. Superfluum est exponere hoc minime ingeniose compositum esse, cum ne Petrus quidem, sed inopinata Mattidia ipsa anagnorisin „praeparet“. Statim enim sequitur anagnorisis filiorum, qui iussu Petri prorumpunt et Mattidiam amplectuntur. ἡ δὲ ἔφη Τί θέλει

1) Conferas, quomodo antea (Caesareae) discipuli Petri enumerentur; ibi in Recogn. additur „Mulierum sane nulla prorsus aderat“ (II 1^9). — Satis similiter Clemens antea (Aradi) miratus est, qualem mulierculam Petrus manu duceret.

2) cf. VII 27^1 „Sed dum illos (Clementem et ceteros) foris (ante portas templi) opperior, mulierem h a n c considerare coepi.“ In Hom. locus depravatus est.

3) christiani una cum gentilibus cibos sumere vetantur; ut semper una cum Clemente esse possit, Petrus Mattidiam baptizari iubet.

4) cf. II 70^b—72; α 22^{30}; γ 29^{13} et saepius.

τοῦτο εἶναι; καὶ ὁ Πέτρος ἀπεκρίνατο Παράστησον, ὦ γύναι, γενναίως τὸν νοῦν σου, ὅπως τῶν σῶν ἀπολαύσῃ τέκνων (ιγ 6[13]).

Auctor igitur eodem fere modo anagnorisin Nicetae et Aquilae composuit atque anagnorisin Clementis, ubi Clemens, quem inopinatum muliercula amplectitur, obstupefactus illam reppulit et Petrus dixit Τί ποιεῖς, τέκνον Κλήμης, ἀποσειόμενος τὴν σὴν ὄντως τεκοῦσαν.

Hucusque anagnorisis Nicetae et Aquilae non modo satis male composita est, sed etiam pendet ab anagnorisi Aradia.

Postquam fratres fata sua narraverunt, ἡ μήτηρ ἡμῶν προσέπεσεν τῷ Πέτρῳ, δεομένη καὶ ἀξιοῦσα ὅπως αὐτήν τε καὶ τὴν ξενοδόχον αὐτῆς μεταπεμψάμενος ἐξαυτῆς βαπτίσῃ (ιγ 9[15]). Non miramur, quod Mattidia ipsa baptizari vult. Sed quae tandem est illa ξενοδόχος? Omnino una invenitur, sc. illa, quae Aradi Mattidiam post naufragium benigne receperat; haec eadem a Clemente munificenter donata et principi insulae commendata Aradi relicta est (ιβ 24[35]). Tres dies ex illa anagnorisi Aradia intermissi sunt, et Petrus ceterique omnes non iam Aradi, sed iam dudum Laodiceae versantur. Ridicula est res, sed aliquid inest. Antea ostendi anagnorisin Laodiceensem pendere ab Aradia. Quod hic iterum accidit. Mattidia A r a d i recognita, priusquam cum Petro et Clemente ab insula discederet, hospitae beneficae valedicere et gratias agere voluit: Mattidia L a o d i c e a e recognita, gratiae referendae causa, ut hospita baptizetur, a Petro petit. Hoc fieri posset, si anagnorisis Nicetae et Aquilae (quae nunc est Laodiceae) in insula Arado esset. Utraque igitur anagnorisis, Aradia et Laodiceensis, quasi confluit in unam.

Hoc quoque afferam. Mattidia petivit, ut statim baptizaretur; nullo die intermisso vult una cum Niceta et Aquila cibum sumere. Sed apostolus severus eam unum saltem diem ieiunare iubet. Tum testatur Mattidia se gaudio anagnorisis affectam iam biduum ieiunavisse. Petrus nihilo minus eam usque ad posterum diem, quo bapti-

zetur, ieiunare iubet. Apparet eas esse nugas, sed facillime resolvuntur, si ponimus auctorem hic quoque cogitavisse de ea Nicetae et Aquilae anagnorisi, quae esset Aradi, non Laodiceae.

Si quis hanc anagnorisin Laodiceensem discrepantiis consitam[1]) et ab Aradia anxie pendentem feliciter superavit, totam rem sic fere fingere potest: „christianus“ in fabella pristina invenit anagnorisin quandam lepide depictam, quae erat Aradi[2]). Quod eam protagonistae suo Clementi dedit, non miramur; quemadmodum ipse Laodiceensem anagnorisin Nicetae et Aquilae consuisset, satis exposuimus.

Duo illi fratres, si cum Clemente conferuntur, apud „christianum“ non ita magnas partes agunt. In pristina autem fabella suum locum habebant ut filii Fausti et Mattidiae. Non multum de iis scimus, sed unum gravissimum: eos fuisse geminos. Clemens Petro Antaradi de familia rettulit: τρεῖς ἐγενόμεθα υἱοί, δύο μὲν πρὸ ἐμοῦ, οἳ καὶ δίδυμοι ὄντες πάνυ ὅμοιοι ἀλλήλοις ἐτύγχανον, ὡς αὐτὸς ὁ πατήρ ἔλεγέν μοι (ιβ 8^{20}). Magna cum voluptate legimus, quomodo in Recogn. res se habeat (VII 8^{5}) „ex qua (uxore) duos geminos ante me filios suscepit, non valde ut aiebat pater, sibi invicem similes.“ Non sine causa videlicet mutavit sive auctor Recognitionum sive Rufinus. Totam fabulam ab initio usque ad finem perscrutantes ne minimum quidem vestigium tantae fratrum similitudinis invenimus. Hac quoque ratione gravissimis causis comprobatur „christianum“ uti antiqua fabella, neque enim dubitari potest, quin illi „gemini“ fuerint simillimi[3]).

Qui fructus ex tali argumento geminorum similitudinis ab auctoribus capi possit, ex fabulis Romanensibus nobis

1) Accedit, quod (ut exposui) anagnorisis trium fratrum foedissime neglegitur.

2) Ea ex his, quae ostendimus, fuisse videtur anagnorisis matris et duorum filiorum vel alterius ex iis.

3) Eos fuisse geminos tradunt etiam Recognitiones (VII 8^{5} = ιβ 8^{21}).

quidem servatis non discimus, sed e comoedia. Iuvat idem argumentum Romanensibus quoque fabulis tractatum esse hac ratione ostendere[1]). —

Anagnorisin Fausti in Recognitionibus, non in Homiliis recte traditam esse alio loco ostendi. In theatro Faustus a filiis recognoscitur, Petrus omnia fata familiae verbosa oratione narrat, postremo Mattidia ipsa accurrit ad maritum recognoscendum. Quam egregie haec anagnorisis composita sit, exponere studui. Quaeritur autem, utrum ad fabellam referenda sit necne. Quin talis anagnorisis in fine fabellae aptissimum locum obtineat, nemo dubitare potest. Faustus, ubi primum audivit uxorem non modo non „in aquis defunctam" esse sed ipsam adesse, pro certo habet illum astrologum esse mentitum. Contra apud „christianum", quamvis Mattidiam vivere audiverit, nondum pro certo habere potest fratrem calumniantem esse mentitum. Hoc si reputamus, concedendum est illam anagnorisin aliqua ex parte aptiorem esse, quae ad fabellam pristinam quam ad „historiam Clementis" referatur[2]). Accedit, quod ex altera anagnorisi satis scimus ingenium „christiani" minima narrandi facultate praeditum esse. Quodsi primam anagnorisin gravibus de causis ad ipsam fabellam rettulimus, alteram anagnorisin a „christiano" consutam esse cognovimus: nonne est veri simile tertiam quoque anagnorisin Fausti egregia cum arte compositam ipsi fabellae pristinae vindicandam esse? —

Quamvis vix lineamenta illius fabellae cognoscamus, eam ita fere fingere possumus: nobilis quidam vir Faustus et uxor Mattidia cum duobus filiis Faustino et Faustiniano feliciter vivunt[3]). Quadam autem nocte mater cum

1) Faustinum et Faustinianum fuisse geminos antea iam observavit Boussetius. vide infra p. 43 [1].

2) Ceterum vel apud „christianum" (vix apte videlicet) de scelesto fratris amore quamvis gravissimo nisi tribus versibus non agitur (IX 36[5]).

3) Nomina videlicet a „christiano" addita sunt, qui Clementem de Caesaris genere natum esse fingit. Mattidia erat filia Marcianae, so-

filiis emigrare somnio iubetur. Pater Faustus eos misit Athenas cum servis et ancillis, ex quo tempore nihil iam vel de matre vel de filiis audivit. Postremo ipse abiit ad familiam quaerendam. In alienis terris comperit schema Mattidiae, secundum quod illa cum servo proprio fugerat et in aquis interierat. Salute desperata Faustus in longinquis regionibus manere maluit quam domum redire. — Interim Mattidia a servis circumdata naufragio facto ad litus insulae Aradi iacta est. Gemini a piratis excepti a muliere quadam empti in insula Arado pauperem mulierem inveniunt ante portas templi mendicantem. Ea est mater Mattidia. Postremo etiam pater Faustus recognoscitur; omnes confluunt in theatrum, ubi spectatoribus mira fata nobilissimae familiae copiose exponuntur.

Hanc fabellam „christianus“ imprimis ita mutavit, ut personam Clementis insereret. Pater Faustus non duos, sed tres filios habet. Quo factum est, ut unam anagnorisin Aradiam male divideret in duas. Praeterea, ut Mattidiae castitatem praedicare posset, addidit amorem fratris mariti eiusque calumniam. Quam ob rem Mattidia non propter somnium, sed propter fratris amorem emigrare cogitur. Vestigia autem antiquioris rationis servantur, cum Mattidia fingit somnium. Rationem, quae inter horoscopium et emigrationem Mattidiae intercessit, „christianus“ neglegit, cum Mattidiae fata artius cum argumento fratris mariti aliunde hausto coniungere malit.

3. De similibus fabularum Graecarum argumentis.

Plurimum interest videre, quae ratio inter „historiam Clementis“ tot recensionibus propagatam et Graecorum

---

roris Traiani; ipsius quoque filiae nomen Mattidia erat. CIL 2, 2341. 4993. — Faustina erat uxor imperatoris Pii eiusque filia uxor imperatoris Marci. Hoc idem nomen in genere Antoninorum saepius occurrit (cf. Wissowa, Realencyklopaedie „Faustina“).

fabulas Romanenses intercedat. Primus Rohdius compositionem fabulae esse Graecam observavit[1]). Nostrum est exponere, utrum, quae de „historia Clementis" lucubravimus, exemplis Graecis comprobare possimus.

In fabella pristina Mattidia cum filiis emigrare somnio quodam iubetur. Hoc absurdum esse videtur, quoniam consilium non intellegimus. Sed similiter Apollonius Tyrius, postquam Mytilenae Tharsiam filiam forte recognovit, somnio iubetur, non domum redire, sed Ephesum navigare. Quod ubi fecit, miro casu uxorem iam dudum mortuam putatam in illa urbe recognoscit[2]). Ceterum in fabella somnium, ut dixi, idem valet atque oracula, quae e. gr. Habrocomen et Anthiam navem ascendere et emigrare iubent, quo omnino fieri potest, ut alter ab altera secernatur[3]). Eodem cum artificio Mattidia, ut a filiis secerni possit, cum illis emigrare somnio iubetur.

Illud somnium quomodo „christianus" mutaverit, satis scimus. Sed etiam tum e fabulis Graecis hausit. Nemo dubitat, quin amor fratris mariti in deliciis fuerit. Quem quin etiam in declamationibus rhetorum invenimus, ita quidem ut maritus re vera uxorem fratri cedat[4]). Mattidia apud „christianum" ob castitatem servandam emigrat; apud Heliodorum Calasiris senex Cnemoni narrat se antea pontificem domo emigrasse, ne incensus Rhodopidis pulcherrimae amori indulgeret[5]). — Per errorem narrat „christianus" fratrem apud maritum Mattidiam adulterii accusavisse. Gratissimum est argumentum: adulter castam

1) E. Rohde, der griech. Roman². Leipz. 1900, p. 507, 1.

2) p. 105 Riese. In latina quidem versione est „angelus", qui somnio loquitur. Etiam auctor „historiae" in ipso somnio offendens mutavit.

3) Xenoph. Ephes. 335, 16. Hercher, Erotici scriptores Graeci.

4) Quintil. decl. 291 „Qui duos filios habebat uni uxorem dedit. altero aegrotante — — (et) confesso amari a se fratris uxorem, frater petente patre cessit." — —

5) Heliod. p. 64, 3 Bekker.

mulierem falso accusat (vel contrarium). Etiam Cnemo a noverca, quae eum frustra amabat, accusatur (Hel. 13, $_{18}$).

Redeamus ad ipsam fabellam. Pater permultos nuntios misit, qui de Mattidia et filiis tam diu absentibus quaererent: sic parentes quoque Habrocomis et Anthiae, qui ante multos annos profecti sunt, nuntios ad fata eorum quaerenda mittunt (Xenoph. 387, $_{8}$).

Interim Mattidia cum filiis naufragium fecit, quo artificio nemo fabularum scriptor caret. Mirum autem est, quod amantes homines raro, ut hic, naufragio secernuntur, nisi forte recordamur Hippothoum pueri amantem naufragium fecisse, quo ille puer periret (Xen. 361, $_{30}$); idem Hippothoi naufragium, ut in „historia Clementis“, fit multa nocte. — Naufragium ipsum a „christiano“ non describitur, sed rationem depingendi, quemadmodum Mattidia sola (ut putat) servata in litore insulae lacrimans atque plangens prima luce pueros amissos vociferetur, ab ecphraseon more repeti potest (ι β 16^{10}—17^{17}).

Mattidiam paulo ante ditissimam secum receperat paupercula quaedam mulier, quam Clemens post anagnorisin opulentis muneribus donavit: neque aliter Apollonius Tyrius naufragio facto cum piscatore paupere amictum dividere coactus, postquam in extrema fabula ad idem litus rediit, illum senem magnificentissime remunerat (p. 22 et 114 sq.).

Cum Mattidia ad litus Aradi naufragio depulsa sit, duo filii a piratis excipiuntur, qui eos Caesaream trahunt. Ceteroquin illae regiones re vera piratis abundavisse videntur, cum etiam Habrocomes et Anthia Tyrum trahantur ἔνθα ἦν τοῖς πειραταῖς τὰ οἰκεῖα (Xen. 344, $_{8}$). Tharsiam quoque piratae Tharso rapiunt et in foro venum dant (h. Ap. Tyr. p. 62). Quin etiam nomina piratae mutare solent, ut Leucippe narrat οὐ καλοῦμαι Λάκαινα· ὕβρις αὕτη ἐστὶ πειρατική· λελήστευται καὶ τοὔνομα (Ach. Tat. p. 168, $_{10}$). — Omnia illa de duobus filiis Mattidiae narrantur.

Non male auctor anagnorisin Clementis et Mattidiae

praeparat, cum Petrus eiusque discipuli ad Aradum insulam transvehuntur, ut duas columnas viteas Phidiaeque opera contemplentur. Quantum apud Achillem Tatium imagines valeant notum est. Ipse affirmat se aliquando in pictura spectanda, quae erat in templo Sidonis, adulescentem quendam invenisse, qui sibi historiam Leucippae et Clitophontis narraret (p. 37—40,15). Nec dissimiliter Petrus ante templum, ad quod spectandum venerat, Mattidiam invenit, quae ei fata familiae narravit.

Miro cum studio auctor depinxit, quam sordidis pauperibusque vestibus Mattidia Aradi et postea Faustus Laodiceae, priusquam recognosceretur, induti essent (ιβ 13; ιδ 2^{18}, 3^{35}) — haud dubie, quo maior fieret commutatio rerum. Hoc saepius videmus: Clitopho et Melita, quam ille Leucippam mortuam esse arbitratus uxorem duxit, ruri mulierem quandam sordidam inveniunt, quae ligone operari cogitur; est Leucippe (Ach. Tat. 144,1; cf. de Fausto „ἐργάτης“ l. l.). — Ceterum quamvis Mattidia et postea Faustus tam sordidi sint, tamen Clemens ἀμαυρῶς πως facies eorum recognoscit (ιβ 23^{11}, ιδ 9^{31}); Clitopho quoque se Leukippam quamvis sordidam recognoscere opinatur (Ach. Tat. 144,22).

Maioris momenti est investigare, quemadmodum „christianus“ anagnorisin composuerit. Anagnorisis non signis quibusdam, ut apud Heliodorum (187,14; 285,8) efficitur, sed nominibus dictis: Petrus Clementi affirmat illam mulierem esse matrem; idem tres illos iuvenes esse filios Fausto detegit. Anagnorisis Nicetae et Aquilae ita fit, ut Petrus fata Mattidiae narret; facile igitur illi, quae sit res, cognoscunt. Simili arte usus Apollonius Tyrius Tharsiam filiam recognoscit, cum illa ei fatum matris referat (p. 98, cf. 106 sqq.). — Plerumque, ut consentaneum est, uterque amans primo obtutu se recognoscit. Auctor Homiliarum, cum novam suam anagnorisin excogitaret, hoc usitatum artificium adhibuit. Sed interdum solus alter, quae sit res, intellegit; e. gr. Theagenes primo

quidem Charicleam vehementer se amplectentem repellit, cum pannis induta sit (Hel. 187, 5). Nemo non meminit Mattidiam quoque inopinatum Clementem amplecti.

Affectus hominum recognoscendorum „christianus" eodem cum studio depingit atque fabulatores[1]). Ceterum hanc artem „christianus" tantopere exercet, ut credas eum esse rhetorem. Fere semper alter e recognitis personis „resolutis membris quasi interceptus concidit" [2]), cum exempli gratia in historia Apollonii Tyrii affectus multo parcius describantur.

Aliud mihi videtur non parvi momenti esse. Illa anagnorisis Fausti, quam ad fabellam rettulimus, in „theatro" spectatoribus referto publice ita pronuntiatur, ut tota fabula verbo tenus narretur. Res est satis mira. Atqui prorsus idem invenimus apud Charitonem: Postquam Chaereas et Calirrhoe recogniti Syracusas redierunt, λόγου δὲ θᾶττον ἐπληρώθη τὸ θέατρον ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν — — ἐπεθύμουν γὰρ αὐτοὺς καὶ ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι (152, 15). Deinde Hermocrates, pater Calirrhoae, totam fabulam, quam quidem ipse sciat, diligenter narrat; post hunc pergit Chaereas cetera fata, quae solus scire potest, copiose exponens (153, 4 sqq.). Hac ratione populo tota fabula verbotenus iteratur, quamvis ii, qui legunt, omnia iam dudum sciant [3]). Ceterum etiam in historia Apollonii primum Mytilenae, deinde Tharsi contiones convocantur, ut anagnorisis publice pronuntietur (p. 100. 110). —

Supra fabellam pristinam ita restitui, ut genesis vel horoscopium plurimum valeat. Hoc per se non est veri dissimile, cum astrologia altero p. C. saeculo floruerit. Sed

---

1) ιβ 21^{27} $22^{5.10}$ ιγ $6^{12.19}$ ιδ $9^{25.30}$; IX 35^{10} 37^{7}. cf. Hel. 285, 10, Xen. 396, 26, Apoll. Tyr. p. 99. 109.

2) Apud Graecos E. Rohde eam vocat „orientalische Weichlichkeit" (p. 172, 2). „christianum" fuisse Syrum non est veri dissimile.

3) Persimiliter Petrus Nicetae et Aquilae omnia fata verbosa oratione narrat (VII 26. 27), qui locus in Hom. inepte contractus est.

ne in fabulis quidem Graecorum desunt argumenta[1]). Apollonius Tharsiam filiam Stranguillioni eiusque uxori educandam dedit et ipse abiit; sed illi eam per villicum quendam interficere constituunt; re vera interim illis ignaris Tharsia a piratis rapta est; quattuordecim annis post Apollonius redit, ut filiam in matrimonium det; scelesta mulier ei respondet „crede nobis, quia, si genesis permisisset, sicut haec omnia damus (sc. ornamenta et vestes), ita et filiam tibi reddidissemus (p. 78). — Calasiris Cnemoni narrat, postquam uxor mortua esset, duobus relictis in liberis se solacium invenisse; οὐ πολλοῖς δὲ ὕστερον ἔτεσιν οὐρανίων φωστήρων εἱμαρμένη περίοδος τρέπει τὰ καθ' ἡμᾶς —, τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον — — μεταβολὴν — — ἐμοὶ σοφία μὲν προέφηνε, διαδρᾶναι δὲ οὐκ ἔδωκε (etiam duos illos liberos eum amittere necesse erat; Hel. 63, 22)".

Non audacius igitur mihi videor statuisse astrologiam in fabella singularem locum obtinuisse.

De argumento autem fabellae afferam fragmentum Iamblichi „Babyloniacorum", quod Hercherus edidit (Herm. I 363): δεσπότης δούλου κατηγορεῖ ἐπὶ μοιχείᾳ τῆς οἰκείας γαμετῆς ἐξηγησαμένης ὡς ὄναρ τούτῳ ἐν τῷ τῆς ἀφροδίτης ἱερῷ ἐμίγη. Mulier igitur quaedam marito narrat somnium, in quo a servo proprio stuprata est. Etiam in fabella, quam restituimus, uxor marito somnium (aliter quidem comparatum) narrat. Uterque maritus comperit uxorem a servo proprio stupratam esse, alter ex somnio, alter ex horoscopio. Apud Iamblichum non est verum stuprum, sed in somnio factum. Ne in fabella quidem stuprum re vera accidit, quamvis horoscopio indicatum. Uterque autem maritus aliquid inesse putat, alter servum accusat, alter salute desperata in alienis terris versatur. Quae diversa sunt, velut templum Veneris, omitto. Fabulatorem, quo „christianus" utitur, et Iamblichum eadem fere aetate vixisse veri simile est (ca. annos 150—225). Fabulatorem a Iamblicho pendere

---

1) C. Fr. Boll, Philol. LXVI p. 1 ss.

non putaverim; fortasse argumentum simillimum ex rhetorum scholis petitum est[1]) —

Quantopere illis temporibus fabulae Romanenses in deliciis fuerint, ipsi retractatores „historiae Clementis“ docent. Homiliarum anagnorisis Fausti quamvis neglegenter scripta plena est artificiorum Graecorum. Petrus Faustum iam dudum mortuum esse nuntiat; statim deinde Faustus ipse vivus cubiculum intrat. Talia artificia apud Achillem Tatium omnem modum transeunt, cum Clitopho procul Leucippam a piratis sacrificari videt necopinatus eam esse fraudem stultissimam (p. 101 sqq.). — Apud eundem Homiliarum auctorem haud raro monologi adhibentur. Subditicia illa in anagnorisi Mattidia propter Faustum monodiam canit. οὔπω δὲ τῆς μιᾶς (!) ταύτης ὀλολυγῆς παυσαμένης, ἰδοὺ καὶ ὁ γέρων εἰσῄει. Similiter Leukippe in cubiculo canit Οἴμοι Κλειτοφῶν (τοῦτο γὰρ ἔλεγε πολλάκις!) Ach. Tat. 167,21. — In eadem anagnorisi Faustus uxore conspecta dicit Οἴμοι τί θέλει τοῦτο εἶναι; τίνα ὁρῶ (ιδ 9^{23}). — In fine Homiliarum (ab eodem auctore addito) Faustus de facie mutata queritur Οἴμοι ὁ τάλας, μάγον αὐτὸν ἀκούων ἠπίστουν ὁ ταλαίπωρος· πρὸς μίαν ἡμέραν ἐπιγνωσθεὶς συμβίῳ καὶ τέκνοις ταχέως ἐπὶ τὴν προτέραν τῆς ἀγνοίας ἦλθον συμφοράν (κ 15^{13}).

Contra apud „christianum“ monologi nisi initio fabulae non inveniuntur. Clemens dicit: ἐμαυτῷ ὡμίλησα λέγων Τί ἄλλους μέμφομαι ἐν τῷ αὐτῷ τῆς ἀμελείας ὑπάρχων ἐγκλήματι; ἀλλ' εἰς Ἰουδαίαν ὁρμήσω, πρότερον τὸν ἐμὸν διαθεὶς βίον (α 8^{29}). Quin etiam alias personas Clemens eodem loco loquentes fingit; aegre fert neminem exclamare Εἰς Ἰουδαίαν πορεύσομαι, ἵνα ἴδω εἰ ταῦθ' οὗτος λέγων ἀληθεύει — — (α 7^{23}). Alexandriae philosophos vituperans fingit dialogum, quem deus cum nefastis illis philosophis habiturus est: Τί ἄρα ἐρεῖ ὑμῶν τὸ ἑλληνικὸν πλῆθος, εἴπερ ἔσται κρίσις

1) Inter Iamblichi fragmentum et ius, quod Bocchoris rex Aegypti dicebat, rationem intercedere statuit Rohdius l. l. p. 397, 1.

— — (philosophi dicent:) Διὰ τί, ὦ θεέ, τὴν σὴν βούλησιν οὐκ ἐκήρυξας ἡμῖν — — (deus respondebit:) Ἐγὼ πάσας τὰς ἐσομένας πρὸ καταβολῆς κόσμου εἰδὼς προαιρέσεις — — (α 11^{17}).

Dubitari non potest, quin omnia ea artificia graecam originem ducant, praesertim cum praeter hos allatos et similes eiusdem initii locos [1]), tales monologi apud „christianum“ non inveniantur. Contra monologi in fabulis Romanensibus singularem locum obtinent [2]).

Videmus omnia fere argumenta „historiae Clementis“ petita esse ex fabulis Romanensibus, quarum in numero nullo negotio habetur. Quin etiam loca optime conveniunt, cum Antiochia, Laodicea, Aradus, Tyrus gratissima fabulatorum sint oppida. Haud dubie in illis potissimum regionibus fabulae legebantur, ut „christiano“ facillime praesto essent.

Hoc unum addam. „christianus“ non semel affirmat Clementem de genere Caesaris ortum esse [3]). Haud dubie hac quoque in re inter „christianum“ et fabulatores ratio intercedit. Lucius Apuleianus „a Plutarcho illo inclito ac mox Sexto philosopho nepote“ ortus est (p. $2,_6$ Helm). Charitonis fabula incipit Ἑρμοκράτης ὁ Συρακουσίων στρατηγός, οὗτος ὁ νικήσας Ἀθηναίους, εἶχε θυγατέρα Καλιρρόην. Cum nobilissimis hominibus, tyrannis, imperatoribus actores fabularum coniunguntur [4]); neque aliter „christianus“ Cle-

1) α 4^{33-1}, 4^{2-5}, 4^{6}, 4^{6-21}. Duodecim prioribus in capitibus initii non minus quam septem monologi inveniuntur, cum postea hoc artificium nisi in additamentis auctoris Homiliarum non occurrat! cf. Wendland, d. Urchristlichen Literaturformen. Tübingen 1912, p. 339 sq.

2) cf. Leo, der Monolog im Drama. Berlin 1908, p. 6. 111.

3) Clementem episcopum Romanum e gente Flaviorum natum esse nonnullos falso putavisse notum est. Lightfoot, The apostolic fathers I 1890 ex inscriptionibus demonstrat, quam saepe nomen Clementis occurrat; vir doctus p. 60 sq. ostendere studet Clementem episcopum fuisse libertum Flavii Clementis (qui consul a. 95 supplicium sumpsit. Suet. Dom. 15).

4) cf. E. Schwartz (Fünf Vorträge über d. griech. Roman. Berlin

mentem e genere Caesaris natum esse affirmat. Postremo: ut fides totius historiae augeatur, Clemens ipse narrat, quae sibi acciderint. Talem fabularum compositionem („Jchroman“) a Graecis petitam esse docemur exemplo Apulei.

Ea omnia si nobiscum reputamus, historia Clementis de fabulis Romanensibus vix quicquam novi docemur. In unam saltem difficultatem incidimus, cum fabulatores nulla argumenta nisi amatoria tractent. Vetustissima quoque Nini fabula, quam U. Wilcken edidit, eiusmodi fabularum in numero habetur, ita ut inde a primo a. C. saeculo ipsa ars componendi parum mutata videatur [1]). Eo magis miretur quispiam, quod historia Clementis artissimis vinculis cum fabulis Romanensibus coniuncta non amantium, sed familiae fata narrantur. Haec discrepantia non minuitur, cum fabellam a nobis restitutam consideramus, qua pater, mater, duo filii vel potius gemini aequales partes agunt. Iam Boussetius argumentum docte contulit cum comoediis, ubi haud dubie talia familiae fata genuinum locum obtinent. Ipsam anagnorisin ex comoedia fluxisse notum est [2]); geminorum quoque argumentum inde haustum est; postremo mira et sollemnis ratio, quacum anagnorisis in theatro publice pronuntiatur, fortasse inde petita est. Neque vero artiorem rationem inter historiam Clementis et comoedias intercedere quisquam putabit; quo fit, ut hac quoque in re diiudicanda facillime ad rhetorum scholas confugiamus [3]).

1896, p. 145 sqq.), qui fabulas Romanenses ex historiis recentiorum rerum scriptorum ortas esse putat.

1) U. Wilcken, Herm. 28, 161 sqq. cf. R. Heinze, Herm. 34, 494 sqq. (de Petronio).

2) Antiquissima anagnorisis origo in Odyssea posita est. Nec minus valuit in tragoedia, imprimis apud Euripidem, qui hac potissimum in re est quasi pater comoediae. cf. Leo, Plaut. Forschungen. Berl. 1912 [2], p. 158 sqq. 197 sqq.

3) Boussetius (Zeitschr. f. d. neutestam. Wissensch.) pristinam fabellam, qua „christianus“ utitur, Shakespearii et Plauti comoediarum

simillimam fingit, imprimis propter geminos. Nonnullis autem argumentis utitur vir doctus, quae, ut „fictio“ vel „transformatio Fausti“, ne apud „christianum“ quidem locos obtinuerunt sed postea addita sunt. Praeterea naufragium, oppida Ephesus et Syracusae, cetera argumenta nullo negotio non minus fabulis Romanensibus quam comoediis comprobantur. Utrum communis auctor Shakespearii et fabellae statuendus sit necne inquirere nostrum non est. Sed omnino dubito, num fabellam pristinam ita fingere possimus; nos quidem ipsa interpretatione alia docemur.

Vita.

Natus sum Guernerus Henricus Friedericus Burghardus Heintze Non. Iun. anni 1889 in vico Osnabrugensi, cui est nomen Lintorf, patre Ioanne et matre Frieda de gente Burmester. Fidei addictus sum evangelicae. a. 1908 testimonio maturitatis instructus postquam gymnasium Guetersloheuse reliqui, Gottingae per unum, Monachii per duo, iterum Gottingae per septem semestria in studiis veterum et Germanicae linguarum versatus sum. Docuerunt me Crusius, Drerup, Güttler, von der Leyen, Lipps, Muncker, Paul, Streitberg, Weymann Monacenses; Busolt, Katz, Körte, M. Lehmann, Leo, Schröder, E. Schwartz (Friburgensis), Viertel †, Wackernagel, Weißenfels, Wendland Gottingenses. Praeter grammaticas archaeologicas historicas germanicas exercitationes seminarii philologici sodalis fui per quattuor semestria.

Omnibus viris doctis gratiam habeo. Hac in dissertatione perficienda non semel fructum cepi ex consiliis Pohlenzii. Totum autem opusculum, quod mox germanica lingua versum publici iuris faciam, ad finem non perduxissem, nisi P. Wendland me adiuvisset liberalissime.